AMQVE deus posita fallacis imagine Tauri,
Se confessus erat, dictæaq; rura tenebat,
Cum pater ignarus raptã perquire-
Imperat, et pœnã, si nõ inuenerit, addit (re Cadmo
Exilium, facto pius, & sceleratus eodem. 5
Orbe pererrato (quis enim deprendere posset
Furta Iouis?) profugus, patriãq;, iramq; parentis
Vitat Agenorides, Phœbiq; oracula supplex
Consulit, & quæ sit tellus habitanda, requirit.
Bos tibi Phœbus ait solis occurret in aruis 10
Nullum passa iugum, curuiq; immunis aratri,
Hac duce carpe vias, & qua requieuerit herba,
Mœnia fac condas, Bœotiaq; illa vocato.
Vix bene castalio Cadmus descenderat antro,
Incustoditam lente videt ire iuuencam, 15
Nullum seruitij signum ceruice gerentem,
Subsequitur, pressoq; legit vestigia gressu,
Auctoremq; viæ Phœbum taciturnus adorat.
Iam vada Cephisi, Panopesq; euaserat arua,
Bos stetit, & tollens speciosam cornibus altis 20
Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras,
Atq; ita respiciens comites sua terga sequentes
Procubuit, teneraq; latus submisit in herba.
Cadmus agit grates, peregrinæq; oscula terræ
Figit, & ignotos montes, agrosq; salutat. 25
Sacra Ioui facturus erat, iubet ire ministros,
Et petere e viuis libandas fontibus vndas.
Sylua vetus stabat nulla violata securi,
Et specus in medio virgis, ac vimine densus,

30 Efficiens humilem lapidum compagibus arcum
Vberibus fecundus aquis, vbi conditus antro
Martius anguis erat cristis præsignis, & auro,
Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno,
Tresq; micāt linguæ, triplici stant ordine dentes,
35 Quem post, quam Tyria lucum de gente profecti
Infausto tetigere gradu, demissaq; in vndas
Vrna dedit sonitum, longo caput extulit antro
Cœruleus serpens, horrendaq; sibila misit.
Effluxere vndæ manibus, sanguisq; reliquit
40 Corpus, & attonitos subitus tremor occupat artus.
Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, & immenso saltu sinuatur in arcum.
At media plus parte leues erectus in auras
Despicit omne nemus, tantoq; est corpore quanto
45 Si totum spectes, geminas qui separat arctos.
Nec mora phœnicas, siue illi tela parabant,
Siue fugam, siue ipse timor prohibebat vtrunq;,
Occupat hos morsu, longis complexibus illos,
Hos necat afflatu, funesta hos tabe veneni.
50 Fecerat exiguas iam Sol altissimus vmbras.
Quæ mora sit sociis miratur Agenore natus,
Vestigatq; viros. tegimen direpta leonis
Pellis erat, telum splendenti lancea ferro,
Et iaculum, teloq; animus præstantior omni.
55 Vt nemus intrauit, lætataq; corpora vidit,
Victoremq; supra spaciosi corporis hostem,
Tristia sanguinea lambentem vulnera lingua,
Aut vltor vestræ fidissima corpora mortis,
Aut comes inquit ero, dixit, dextraq; molarem
60 Sustulit, & magnum magno conamine misit.

Illius impulsu cum turribus ardua celsis
Mœnia mota forent, serpens sine vulnere mansit,
Loricæq; modo squammis defensus, & atræ
Duritia pellis, validos cute reppulit ictus.
At non duritia iaculum quoq; vicit eadem, 65
Quod medio lentæ spinæ curuamine fixum
Constitit, & totum descendit in Ilia ferrum.
Ille dolore ferox caput in sua terga retorsit,
Vulneraq; aspexit, fixumq; hastile momordit.
Idq; vbi vi multa partem labefecit in omnem, 70
Vix tergo eripuit, ferrum tamen ossibus hæsit.
Tum vero post, quam solitas accessit ad iras
Causa recens plenis tumuerunt guttura venis,
Spumaq; pestiferos circunfluit albida rictus,
Terraq; rasa sonat squammis, quiq; halitus exit 75
Ore niger stygio vitiatas inficit herbas,
Ipse modo immensum spiris facientibus orbem
Cingitur, interdum longa trabe rectior extat,
Impete nunc vasto ceu concitus imbribus amnis
Fertur, & obstantes perturbat pectore syluas. 80
Cedit Agenorides paulum, spolioq; leonis
Sustinet incursus, instantiaq; ora retardat
Cuspide prætenta, furit ille, & inania duro
Vulnera dat ferro, figitq; in acumine dentes.
Iamq; venenifero sanguis manare palato 85
Cœperat, & virides aspergine tinxerat herbas,
Sed leue vulnus erat, quia se retrahebat ab ictu,
Læsaq; colla dabat retro, plagamq; sedere
Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat.
Donec Agenorides coniectum in guttura ferrum 90
Vsq; sequens pressit, dum retro quercus eunti

Obstitit, & fixa est pariter cum robore ceruix.
Pondere serpentis curuata est arbor, & imæ
Parte flagellari gemuit sua robora caudæ.
95 Dum spacium victor victi considerat hostis,
Vox subito audita est, neq; erat cognoscere promptũ
Vnde, sed audita est, quid Agenore nate peremptũ
Serpentem spectas? & tu spectabere serpens.
Ille diu pauidus pariter cum voce colorem
100 Perdiderat, gelidoq; comæ terrore rigebant.
Ecce viri fautrix superas delapsa per auras
Pallas adest, motæq; iubet supponere terræ
Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
Paret, & impresso sulcum patefecit aratro.
105 Spargit humi iussos mortalia semina dentes,
Inde (fide maius) glebæ cœpere moueri,
Primaq; de sulcis acies apparuit hastæ,
Tegmina mox capitum picto nutantia cono,
Mox humeri, pectusq;, oneratacq;, brachia telis
110 Existunt, crescitq; seges clypeata virorum.
Sic vbi tolluntur festis aulæa theatris,
Surgere signa solent, primũq; ostendere vultus,
Cætera paulatim, placidoq; educta tenore
Tota patent, imoq; pedes in margine ponunt.
115 Territus hoste nouo Cadmus capere arma parabat,
Ne cape de populo, quem terra creauerat, vnus
Exclamat, nec te ciuilibus insere bellis.
Atq; ita terrigenis rigido de fratribus vnum
Comminus ense ferit, iaculo cadit eminus ipse.
120 Hic quoq;, qui dederat læto, non longius illo
Viuit, & expirat, modo quas acceperat, auras,
Exemploq; pari furit omnis turba, suoq;

Marte cadunt ſubiti per mutua vulnera fratres,
Iamq; breuis vitæ ſpacium ſortita iuuentus
Sanguineam tepido plangebat pectore matrem, 125
Quinq; ſuperſtitibus, quorum fuit vnus Echion,
Is ſua iecit humi monitu Tritonidis arma,
Fraternæq; fidem pacis petiitq;, deditq;.
Hos operis comites habuit Sidonius hoſpes
Cum poſuit iuſſam phœbeis ſortibus vrbem. 130
Iam ſtabant Thebæ. poteras iam Cadme videri
Exilio fœlix, ſoceri tibi Marsq;, Venusq;
Contigerant, huc adde genus de coniuge tanta,
Tot natos, natasq;, & pignora cara nepotes,
Hos quoq; iam iuuenes. Sed ſcilicet vltima ſemper 135
Expectanda dies homini eſt, diciq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.
Prima nepos inter res tot tibi Cadme ſecundas
Cauſa fuit luctus, alienaq; cornua fronti
Addita, vosq; canes ſatiati ſanguine herili. 140
At bene ſi quæras, fortunæ crimen in illo,
Non ſcelus inuenies, quod em̃ ſcelus error habebat,
Mons erat infectus variarum cæde ferarum,
Iamq; dies medius rerum contraxerat vmbras,
Et Sol ex æquo meta diſtabat vtraq;, 145
Cum iuuenis placido per deuia luſtra vagantes
Participes operum compellat Hyantius ore,
Lina madent comites, ferrumq; cruore ferarum,
Fortunamq; dies habuit ſatis, altera lucem
Cum croceis inuecta rotis Aurora reducet 150
Propoſitũ repetemus opus, nunc Phœbus vtraq;
Diſtat idem terra, finditq; vaporibus arua.
Siſtite opus præſens, nodoſaq; tollite lina.

Iussa viri faciunt, intermittuntq; laborem.
155 Vallis erat piceis, & acuta densa cupressu
Nomine Gargaphie, succinctæ cura Dianæ,
Cuius in extremo est antrum nemorale recessu
Arte laboratum nulla, simulauerat artem
Ingenio natura suo. nam pumice viuo,
160 Et leuibus tofis natiuum duxerat arcum.
Fons sonat a dextra tenui perlucidus vnda
Margine gramineo patulos succinctus hiatus.
Hic dea syluarum venatu fessa solebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.
165 Quo post, quam subiit, nympharũ tradidit vni
Armigeræ iaculum, pharetrãq;, arcusq; retentos.
Altera depositæ subiecit brachia pallæ
Vincla duæ pedibus demunt. nam doctior illis
Ismenis Crocale sparsos per colla capillos
170 Colligit in nodum, quamuis erat ipsa solutis.
Excipiunt laticem Nipheq;, Hyaleq;, Rhaniscq;
Et Psecas, & Phiale, funduntq; capacibus vrnis.
Dumq; ibi perluitur solita Titania lympha,
Ecce nepos Cadmi dilata parte laborum
175 Per nemus ignotum non certis passibus errans
Peruenit in lucum, sic illum fata ferebant,
Qui simul intrauit rorantia fontibus antra,
Sicut erant nudæ, viso sua pectora nymphæ
Percussere viro, subitisq; vlulatibus omne
180 Impleuere nemus, circunfusæq; Dianam
Corporibus texere suis, tamen altior illis
Ipsa dea est, colloq; tenuq; supereminet omnes.
Qui color infectis aduersi solis ab ictu
Nubibus esse solet, aut purpureæ auroræ,

Is fuit in vultu visæ sine veste Dianæ, 185
Quæ quanq̃ comitum turba est stipata suarum,
In latus obliquum tamen astitit, oraq; retro
Flexit, & vt vellet promptas habuisse sagittas,
Quas habuit, sic hausit aquas, vultumq; virilem
Perfudit, spargensq; comas vltricibus vndis, 190
Addidit hæc cladis prænuncia verba futuræ,
Nunc tibi me posito visam velamine narres,
Si poteris narrare licet, nec plura minata
Dat sparso capiti viuacis cornua cerui,
Dat spacium collo, summasq; cacuminat aures, 195
Cum pedibusq; manus, cũ longis brachia mutat
Cruribus, & velat maculoso vellere corpus.
Additus & pauor est. fugit Autoneius heros,
Et se tam celerem cursu miratur in ipso.
Vt vero vultus, & cornua vidit in vnda, 200
Me miserum dicturus erat, vox nulla secuta est.
Ingemuit, vox illa fuit, lachrymæq; per ora
Non sua fluxerunt, mens tantum pristina mansit.
Quid faciat? repetat ne domum, & regalia tecta?
An lateat syluis? timor hoc, pudor impedit illud. 205
Dum dubitat, videre canes, primusq; Melampus,
Ichnobatesq; sagax latratu signa dederunt,
Gnosius Ichnobates, Spartana gente Melampus.
Inde ruunt aliĩ rapida velocius aura
Pamphagus, & Dorceus, & Oribasus Arcades oẽs, 210
Nebrophonosq; valẽs, & trux cũ Lælape Theron,
Et pedibus Pterelas, & naribus vtilis Agre,
Hylæusq; ferox nuper percussus ab apro,
Deq; lupo concepta Nape, pecudesq; secuta,
Pœmenis, & natis comitata Harpyia duobus, 215

Et ſubſtricta gerens ſicyonius ilia Ladon,
Et Dromas, & Canache, Stictecq;, & Tigris, & Alce,
Et niueis Leucon, & villis Aſbolus atris,
Præualidusq; Lacon, & curſu fortis Aello,
220 Et Thous, & cyprio velox cum fratre Lyciſca,
Et nigram medio frontem diſtinctus ab albo
Harpalos, & melaneus, hirſutaq; corpore Lachne,
Et patre dictæo ſed matre laconide nati
Labros, & Aglaodos, & acutæ vocis Hylactor,
225 Quosq; referre mora eſt ea turba cupidine prædæ
Per rupes, ſcopulosq;, aditucq; carentia ſaxa,
Quaq; eſt difficilis, quaq; eſt via nulla, ſequũtur,
Ille fugit, per quæ fuerat loca ſæpe ſecutus.
Heu famulos fugit ille ſuos, clamare libebat
230 Actæon ego ſum, dominũ cognoſcite veſtrum.
Verba animo deſunt, reſonat latratibus æther.
Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit.
Proxima Theridamas Oreſitrophus hæſit in armo,
Tardius exierant, ſed per compendia montis
235 Præcipitata via eſt, dominũ retinentibus illis
Cætera turba coit, confertq; in corpore dentes.
Iam loca vulneribus deſunt, gemit ille, ſonumq;
Et ſi non hominis, quem non tamen edere poſſit
Ceruus habet, meſtisq; replet iuga nota querelis,
240 Et genibus pronis ſupplex ſimilisq; roganti
Circunfert tacitos, tanquã ſua brachia, vultus.
At comites rapidum ſolitis hortatibus agmen
Ignari inſtigant, oculisq; Actæona quærunt.
Et velut abſentem certatim Actæona clamant.
245 Ad nomen caput ille refert, & abeſſe queruntur,
Nec capere oblatæ ſegnem ſpectacula prædæ.

Vellet abesse quidem, sed adest, velletq; videre,
Non etiam sentire canum fera facta suorum.
Vndiq; circunstant, mersisq; in corpore rostris,
Dilacerant falsi dominum sub imagine cerui. 250
Nec nisi, finita per plurima vulnera vita
Ira pharetratæ fertur satiata Dianæ.
Rumor in ambiguo est, aliis violentior æquo
Visa dea est, alij laudant, dignamq; sæuera
Virginitate vocant, pars inuenit vtraq; causas. 255
Sola Iouis coniux non tam culpet ne, probet ne
Eloquitur, quã clade domus ab Agenore ductæ
Gaudet, & a Tyria collectum pellice transfert
In generis socios odium, subit ecce priori
Causa recens, grauidãq; dolet de semine magni 260
Esse Iouis Semelen, tum linguã ad iurgia soluit.
Profeci quid enim toties per iurgia dixit?
Ipsa petenda mihi est, ipsam si maxima Iuno
Rite vocor, perdam, si me gemmantia dextra
Sceptra tenere decet, si sum regina, Iouisq; 265
Et soror, & coniux, certe soror, at puto furto est
Contenta, & thalami breuis est iniuria nostri.
Concipit, id deerat, manifestaq; crimina pleno
Fert vtero, & mater, quod vix mihi contigit vni,
De Ioue vult fieri, tanta est fiducia formæ 270
Fallat eam faxo nec sim Saturnia, si non
Ab Ioue mersa suo stygias penetrarit ad vndas.
Surgit ab his solio, fuluaq; recondita nube
Limen adit Semeles, nec nubes ante remouit,
Quã simulauit anum, posuitq; ad tẽpora canos, 275
Sulcauitq; cutem rugis, & curua trementi
Membra tulit gressu, vocem quoq; fecit anilem.

Ipsaq; erat Beroe Semeles Epidauria nutrix.
Ergo vbi captato sermone, diuq; loquendo
280 Ad nomen venere Iouis, suspirat, & opto,
Iuppiter, vt sit, ait. metuo tamen omnia. multi
Nomine diuorum thalamos iniere pudicos.
Nec tamē esse Iouem satis est. det pignus amoris,
Si modo verus is est, quātusq;, & qualis ab alta
285 Iunone excipitur, tantus, talisq; rogato
Det tibi complexus, suaq; ante insignia sumat.
Talibus ignaram Iuno cadmeida dictis
Formarat, rogat illa Iouem sine nomine munus.
Cui deus elige ait, nullam patiere repulsam.
290 Quoq; magis credas, stygij quoq; conscia sunto
Numina torrentis. timor, & deus ille deorum est.
Lætą malo, nimiūq; potens, perituraq; amantis
Obsequio Semele, qualem Saturnia dixit
Te solet amplecti, veneris cum fœdus initis,
295 Da mihi te talem. voluit deus ora loquentis
Opprimere, exierat iam vox properata sub auras,
Ingemuit, neque enim non hæc optasse, nec ille
Non iurasse potest. ergo mœstissimus altum
Aetherea conscendit, vultumq; sequentia traxit
300 Nubila, quis nimbos, immixtaq; fulgura ventis
Addidit, & tonitrus, & ineuitabile fulmen.
Qua tamen vsq; potest vires sibi demere tentat.
Nec quo centimanum deiecerat igne Typhoea,
Nunc armatur eo. nimium feritatis in illo est.
305 Est aliud leuius fulmen, cui dextra cyclopum
Sæuitiæ, flammæq; minus, minus addidit iræ.
Tela secunda vocant superi. capit illa, domumq;
Intrat agenoream. corpus mortale tumultus

Non tulit æthereos, donisq; iugalibus arsit.
Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo 310
Eripitur, patrioq; tener (si credere dignum est)
Insuitur femori, maternaq; tempora complet.
Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat. inde datum nymphæ nyseides antris
Occuluere suis, lactisq; alimenta dedere. 315
Dumq; ea per terras fatali lege geruntur,
Tutaq; bis geniti sunt incunabula Bacchi,
Forte Iouem memorant diffusum nectare, curas
Seposuisse graues, vacuaq; agitasse remissos
Cum Iunone iocos, & maior vestra profecto est, 320
Quam quæ contingit maribus, dixisse voluptas.
Illa negat. placuit quæ sit sententia docti
Quærere Tiresæ. Venus huic erat vtraq; nota.
Nam duo magnorum viridi coeuntia sylua
Corpora serpentum baculi violauerat ictu, 325
Deq; viro factus, mirabile, fœmina, septem
Egerat autumnos. octauo rursus eosdem
Vidit, & est vestræ si tanta potentia plagæ
Dixit, vt authoris sortem in contraria mutet,
Nunc quoq; vos feriã. percussis anguibus iisdem 330
Forma prior rediit, genitiuaq; venit imago.
Arbiter hic igitur sumptus de lite iocosa
Dicta Iouis firmat. grauius saturnia iusto,
Nec pro materia fertur doluisse, suiq;
Iudicis æterna damnauit lumina nocte. 335
At pater omnipotens (neq; em̃ licet irrita cuiquã
Facta dei fecisse deo) pro lumine adempto
Scire futura dedit, pœnamq; leuauit honore.
Ille per Aonias fama celeberrimus vrbes

340 Irreprehensa dabat populo responsa petenti.
Prima fide, vocisq; ratæ tentamina sumpsit
Cœrula Liriope, quã quondam flumine curuo
Implicuit, clausæq; suis Cephisus in vndis
Vim tulit. enixa est vtero pulcherrima pleno
345 Infantem nymphe iam tunc qui posset amari.
Narcissumq; vocat, de quo consultus, an esset
Tempora maturæ visurus longa senectæ,
Fatidicus vates, si se non nouerit, inquit.
Vana diu visa est vox auguris. exitus illam
350 Resq; probat, lætisq; genus, nouitasq; furoris.
Nanque ter ad quinos vnum Cephisius annos
Addiderat, poteratq; puer, iuuenisq; videri.
Multi illum iuuenes, multæ cupiere puellæ,
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
355 Nulli illum iuuenes, nullæ tetigere puellæ.
Aspicit hunc trepidos agitantem in retia ceruos
Vocalis nymphe, quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, nõ vox erat, & tamẽ vsum
360 Garrula non aliũ, quã nunc habet, oris habebat,
Reddere de multis, vt verba nouissima posset.
Fecerat hoc Iuno, quia cum deprendere posset
Sub Ioue sæpe suo nymphas in monte iacentes,
Illa deam longo prudens sermone tenebat,
365 Dum fugerent nymphæ. post, quã Saturnia sensit,
Huius ait linguæ, qua sum delusa, potestas,
Parua tibi dabitur, vocisq; breuissimus vsus
Req; minas firmat. tamẽ hæc in fine loquendi
Ingeminat voces, auditaq; verba reportat.
370 Ergo vbi Narcissum per deuia rura vagantem

Vidit, & incaluit, sequitur vestigia furtim.
Quoq; magis sequitur, flamma propiore calescit.
Non aliter, quam cum summis circumlita tædis
Admotas rapiunt viuacia sulfura flammas.
O quoties voluit blandis accedere dictis, 375
Et molles adhibere preces, natura repugnat,
Nec sinit incipiat. sed quod sinit, illa parata est
Expectare sonos, ad quos sua verba remittat.
Forte puer comitum seductus ab agmine fido
Dixerat, hic quis adest? & adest responderat Echo, 375
Hic stupet, atq; aciem partes dimisit in omnes,
Voce veni magna clamat. vocat illa vocantem.
Respicit, & rursus nullo veniente, quid inquit
Me fugis? & totidem quot dixit verba recepit.
Perstat, & alternæ deceptus imagine vocis, 380
Huc coeamus ait? nullicq; libentius vnquam
Responsura sono, coeamus rettulit Echo.
Et verbis fauet ipsa suis, egressaq; sylua
Ibat, vt iniiceret sperato brachia collo.
Ille fugit, fugiensq; manus complexibus aufert, 385
Ante ait, emoriar, quam sit tibi copia nostri.
Rettulit illa nihil, nisi sit tibi copia nostri.
Spreta latet syluis, pudibundaq; frondibus ora
Protegit, & Solis ex illo viuit in antris.
Sed tamen hæret amor, crescitq; dolore repulsæ, 390
Et tenuant vigiles corpus miserabile curæ,
Adducitq; cutem macies, & in aera succus
Corporis oīs abit. vox tantū, itq; ossa supersunt.
Vox manet. ossa ferunt lapidis traxisse figuram.
Inde latet syluis, nulloq; in monte videtur. 395
Omnibus auditur. sonus est qui viuit in illa.

Sic hanc, sic alias vndis, aut montibus ortas
Luserat hic nymphas, sic cœtus ante viriles.
Inde manus aliquis despectus ad æthera tollens
400 Sic amet ipse licet, sic non potiatur amato.
Dixerat. assensit precibus Rhamnusia iustis.
Fons erat illimis nitidis argenteus vndis,
Quem neq; pastores, neq; pastæ monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus, quē nulla volucris,
405 Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus,
Gramen erat circa, q̄d proximus humor alebat,
Syluaq; Sole locum passura tepescere nullo.
Hic puer, & studio venandi lassus, & æstu
Procubuit, faciemq; loci, fontemq; secutus.
410 Dumq; sitim sedare cupit, sitis altera creuit.
Dumq; bibit, visæ correptus imagine formæ
Spē sine corpe amat, corpus putat esse, q̄d vmbra est.
Ac stupet ipse sibi, vultuq; immotus eodem
Hæret, vt e pario formatum marmore signum.
415 Spectat humi positus geminū ceu lumina sydus,
Et dignos baccho digitos, & Apolline crines,
Impubesq; genas, & eburnea colla, decusq;
Oris, & in niueo mixtum candore ruborem.
Cunctaq; miratur, quibus est mirabilis ipse.
420 Se cupit imprudens, & qui probat, ipse probatur.
Dumq; petit, petitur, pariterq; accendit, & ardet.
Irrita fallaci quoties dedit oscula fonti.
In medias quoties visum captantia collum
Brachia mersit aquas, nec se deprendit in illis
425 Quid videat, nescit. sed quod videt, vritur illo,
Atq; oculos idem, qui decipit, incitat error.
Credule quid frustra simulacra fugacia captas?

Quod petis est nusquã. qd' amas, auertere, perdes.
Ista repercussæ, quã cernis, imaginis vmbra est.
Nil habet ista sui, tecum venitq;, manetq;. 430
Tecum discedet, si tu discedere possis.
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abstrahere inde potest, sed opaca fusus in herba
Spectat in expleto mendacem lumine formam.
Perq; oculos perit ipse suos, paulumq; leuatus 435
Ad circunstantes tendens sua brachia syluas,
Ecquis Io syluæ crudelius inquit amauit?
Scitis enim, & multis latebra oportuna fuistis,
Ecquem, cum vestræ tot agantur sæcula vitæ,
Qui sic tabuerit longo meministis in æuo? 440
Et placet, & video, sed quod videoq;, placetq;,
Non tamen inuenio. tantus tenet error amantem.
Quoq; magis doleã. non nos mare separat ingens,
Nec via, nec montes, nec clausis mœnia portis.
Exigua prohibemur aqua. cupit ipse teneri. 445
Nam quoties liquidis porreximus oscula lymphis,
Hic toties ad me resupino nititur ore.
Posse putes tangi, minimũ est q̃d amãtibus obstat.
Quisquis es huc exi. quid me puer vnice fallis?
Quove petitus abis? certe nec forma, nec ætas 450
Est mea, quã fugias, & amarũt me quoq; nymphæ.
Spem mihi nescio quam, vultu promittis amico.
Cumq; ego porrexi tibi brachia, porrigis vltro.
Cum risi, arrides. lachrymas quoq; sæpe notaui
Me lachrymante tuas, nutu quoq; signa remittis, 455
Et quantum motu formosi suspicor oris,
Verba refers aures non peruenientia nostras.
Iste ego sum, sensi. nec me mea fallit imago.

Vror amore mei, flammas moueoq;, feroq;.
460 Quid faciã? roger, an ne rogẽ? quid deinde negabo?
Quod cupio, mecum est, inopem me copia fecit.
O vtinam a nostro secedere corpore possem.
Votũ in amãte nouũ est, vellẽ, q̃d amamus, abesset.
Iamq; dolor vires adimit, nec tempora vitæ
465 Longa meæ superant, primoq; extinguor in æuo.
Nec mihi mors grauis est posituro morte dolores.
Hic qui diligitur, vellem diuturnior esset.
Nunc duo concordes anima moriemur in vna.
Dixit, & ad faciem rediit male sanus eandem,
470 Et lachrymis turbauit aquas, obscuraq; moto
Reddita forma lacu est, quam cum vidisset abire,
Quo refugis? remane, nec me crudelis amantem
Desere, clamauit. liceat quod tangere non est,
Aspicere, & misero præbere alimenta furori.
475 Dumq; dolet, summo vestem diduxit ab ore,
Nudaq; marmoreis percussit pectora palmis.
Pectora traxerunt tenuem percussa ruborem.
Non aliter, quã poma solent, quæ candida parte,
Parte rubent, aut vt variis solet vua racemis
480 Ducere purpureum non dum matura colorem.
Quæ simul aspexit liquefacta rursus in vnda,
Non tulit vlterius. sed vt intabescere flauæ
Igne leui cæræ, matutinæq; pruinæ
Sole tepente solent, sic attenuatus amore
485 Liquitur, & tecto paulatim carpitur igni.
Et neq; iam color est mixto candore rubori,
Nec vigor, & vires, & quæ modo visa placebant,
Nec corpus remanet, quondã q̃d amauerat Echo,
Quæ tamen vt vidit, quamuis irata, memorq;

Indoluit,quotiesq; puer miserabilis heheu 490
Dixerat,hæc resonis iterabat vocibus heheu.
Cumq; suos manibus percusserat ille lacertos,
Hæc quoq; reddebat sonitũ plangoris eundem.
Vltima vox solitam fuit hæc spectantis in vndã.
Heu frustra dilecte puer.totidemq; remisit 495
Verba locus,dictoq; vale,vale inquit & Echo.
Ille caput viridi fessum summisit in herba,
Lumina mors clausit domini mirantia formam.
Tum quoq; se post,quã est inferna sede receptus,
In stygia spectabat aqua.planxere sorores 500
Naiades,& sectos fratri imposuere capillos.
Planxerunt Dryades.plangentibus assonat Echo.
Iamq; rogũ,quassasq; faces,pheretrũq; parabãt,
Nusquã corpus erat.croceum pro corpore florem
Inueniunt foliis medium cingentibus albis. 505
Cognita res vati meritam per achæides vrbes
Attulerat famam,nomenq; erat auguris ingens.
Spernit Echionides tamẽ hunc ex omibus vnus
Contemptor superum Pentheus,præsagaq; ridet
Verba senis,tenebrasq;,& cladem lucis ademptæ 510
Obiicit.ille mouens albentia tempora canis
Quam fœlix esses,si tu quoq; luminis huius
Orbus ait,fieres,nec bacchica sacra videres.
Nanq; dies aderit,quã non procul auguror esse,
Qua nouus huc veniet proles Semeleia Liber, 515
Quem nisi templorum fueris dignatus honore,
Mille lacer spargere locis,& sanguine syluas
Fœdabis,matremq; tuam,matrisq; sorores.
Et veniet.neq; enim dignabere numen honore.
Meq; sub his tenebris nimium vidisse quereris. 520

Talia dicentem perturbat Echione natus.
Dicta fides sequitur, responsaq; vatis aguntur.
Liber adest, festisq; fremunt vlulatibus agri.
Turba ruit, mixtæq; viris matresq;, nurusq;,
525 Vulgusq;, & proceres ignota ad sacra feruntur.
Quis furor anguigenæ proles mauortia vestras
Attollit mentes? Pentheus ait, æra ne tantum
Aere repulsa valent? & a dunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes, vt quos non bellicus ensis,
530 Non tuba terruerit, non strictis agmina telis,
Fœmineæ voces, & mota insania vino,
Obscœniq; greges, & inania tympana vincant?
Vos ne senes mirer qui longa per æquora vecti
A tyro hac profugos posuistis sede penates,
535 Nunc sinitis sine Marte capi? vos ne acrior ætas
O iuuenes, propiorq; meæ, quos arma tenere
Non thyrsos, galeaq; tegi, non fronde decebat
Este precor memores, qua sitis stirpe creati.
Illiusq; animos, qui multos perdidit vnus,
540 Sumite serpentis. pro fontibus ille, lacu q;
Interiit. at vos pro fama vincite vestra.
Ille dedit læto fortes, vos vincite molles.
Et patrium retinete decus, si fata vetabunt
Stare diu Thebas, vtinam tormenta, viriq;
545 Mœnia diruerent, ignis, ferrumq; sonaret.
Essemus miseri sine crimine, sorsq; querenda,
Non cælanda foret, lachrymæq; pudore carerent.
At nunc a puero Thebæ capientur inermi,
Quē neq; bella iuuāt, nec tela, nec vsus equorū,
550 Sed madidus Myrrha crinis, mollesq; coronæ,
Purpuraq;, & pictis intextum vestibus aurum.

Quē quidem ego actutū, modo vos assistite, cogā
Assumptumq; patrem, commentaq; sacra fateri.
An satis Acrisio est animi contemnere vanum
Numen? & argolicas venienti claudere portas? 555
Penthea terrebit cum totis aduena Thebis?
Ite citi (famulis hoc imperat) ite, ducemq;
Attrahite huc vinctum, iussis mora segnis abesto.
Hunc auus, hūc Athamas, hūc cætera turba suorū
Corripiunt dictis, frustraq; inhibere laborant. 560
Acrior admonitu est, irritaturq; retenta,
Et crescit rabies, moderaminaq; ipsa nocebant.
Sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,
Lenius, & modico strepitu decurrere vidi,
At quacunq; trabes, obstructaq; saxa tenebant, 565
Spumeus, & feruens, & ab obiice sæuior ibat.
Ecce cruentati redeunt, & Bacchus vbi esset,
Quærenti domino, Bacchum vidisse negarunt.
Hunc dixere tamen comitem, famulūq; sacrorum
Cepimus, & tradunt manibus post terga ligatis, 570
Sacra dei quondam Tyrrhena gente secutum.
Aspicit hunc Pentheus oculis, quos ira tremēdos
Fecerat, & quanquā vix pœnæ tempora differt,
O periture, tuaq; aliis documenta dature
Morte ait, ede tuum nomen, nomenq; parentum, 575
Et patriam, moriscq; noui cur sacra frequentes.
Ille metu vacuus nomen mihi dixit Acœtes,
Patria Mœonia est, humili de plebe parentes.
Non mihi quæ duri colerent pater arua iuuenci,
Lanigerosq; greges, non vlla armenta reliquit. 580
Pauper & ipse fuit, linoq; solebat, & hamis
Decipere, & calamo salientes ducere pisces,

Ars illi ſua cenſus erat cum traderet artem,
Accipe quas habeo ſtudij ſucceſſor, & hæres
585 Dixit opes, moriensq; mihi nihil ille reliquit,
Præter aquas. vnũ hoc poſſum appellare paternũ.
Mox ego, ne ſcopulis hærerem ſemper in iiſdem,
Addidici regimen dextra moderante carinæ
Flectere, & Oleniæ ſydus pluuiale capellæ,
590 Taygetenq;, Hyadasq; oculis, Arctonq; notaui,
Ventorumq; domos, & portus puppibus aptos.
Forte petens Delonchiæ telluris adoras
Applicor, & dextris adducor littora remis,
Doq; leues ſaltus, vdæq; immittor arenæ.
595 Nox vbi conſumpta eſt, aurora rubeſcere primo
Cœperat, exurgo, laticesq; inferre recentes
Admoneo, monſtroq; viam, quæ ducit ad vndas.
Ipſe quid aura mihi tumulo promittat ab alto
Proſpicio, comitesq; voco, repetoq; carinam.
600 Ad ſumus en inquit ſociorum primus Opheltes,
Vtq; putat prædam deſerto nactus in agro
Virginea puerum ducit per littora forma.
Ille mero, ſomnoq; grauis titubare videtur,
Vixq; ſequi, ſpecto cultum, faciemq;, gradumq;,
605 Nil ibi quod credi poſſet mortale videbam.
Et ſenſi, & dixi ſociis, quod numen in iſto
Corpore ſit dubito, ſed corpore numen in iſto eſt.
Quiſquis es o faueas, noſtriſq; laboribus adſis,
His quoq; des veniam, pro nobis mitte precari
610 Dictys ait, quo non alius conſcendere ſummas
Ocyor antennas, prehenſoq; rudente relabi.
Hoc Libys, hoc flauus proræ tutela Melanthus,
Hoc probat Alcimedon, & qui requiẽq;, modũq;

Voce dabat remis animorum hortator Epopeus.
Hoc omnes alij. prædæ tam cæca cupido est. 615
Non tamen hanc sacro violari pondere pinum
Perpetiar dixi. pars hic mihi maxima iuris.
Inq; aditu obsisto. furit audacissimus omni
De numero Lycabas, qui thusca pulsus ab vrbe
Exilium dira pœnam pro cæde luebat. 620
Is mihi dum resto, iuuenili guttura pugno
Rupit, & excussum misisset in æquora, si non
Hæsissem, quamuis amens in fune retentus.
Impia turba probat factum. tum denique Bacchus
(Bacchus enim fuerat) veluti clamore solutus 625
Sit sopor, atq; mero redeant in pectora sensus
Quid facitis? quid clamor ait? qua dicite nautæ
Huc ope perueni? quo me deferre paratis?
Pone metum Proreus, & quos contingere portus
Aede velis dixit, terra sistere petita. 630
Naxon ait liber cursus aduertite vestros.
Illa mihi domus est. vobis erit hospita tellus.
Per mare fallaces, perq; omnia numina iurant,
Sic fore, meq; iubent pictæ dare vela carinæ.
Dextera Naxos erat, dextra mihi linthea danti, 635
Quid facis o demens? quis te furor inquit Opheltes?
Pro se quisq; timet. leuam pete maxima nutu
Pars mihi significat. pars qd velit, aure susurrat,
Obstupui, capiatq; aliquis moderamina dixi.
Meq; ministerio sceleriq;, artiq; remoui. 640
Increpor a cunctis, totũq; immurmurat agmen.
E quibus Ethalion te scilicet omnis in vno
Nostra salus posita est, ait, & subit ipse, meumq;
Explet opus, naxoq; petit diuersa relicta.

645 Tum deus illudens tanquã modo denicq; fraudẽ
Senserit, e puppi pontum prospectat adunca,
Et flenti similis. non hæc mihi littora nautæ
Promisistis ait. non hæc mihi terra rogata est,
Quo merui pœnam facto? quæ gloria vestra est,
650 Si puerum iuuenes? si multi fallitis vnum?
Iandudũ flebam. lachrymas manus impia nostras
Ridet, & impellit properantibus æquora remis,
Per tibi nunc ipsum (necq; enim præsentior illo
Est deus) adiuro tanto tibi vera referre
655 Quam veri maiora fide. stetit æquora puppis
Haud aliter, quam si siccum nauale teneret.
Illi admirantes remorum in verbere perstant,
Velacq; deducunt, geminacq; ope currere tentant.
Impediunt ederæ remos, nexucq; recuruo
660 Serpunt, & grauidis distingunt vela corymbis.
Ipse racemiferis frontem circundatus vuis
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.
Quem circa tigres, simulacracq; inania lyncum,
Pictarumcq; iacent fera corpora pantherarum.
665 Exiliere viri. siue hoc insania fecit,
Siue timor. primuscq; Medon nigrescere cœpit,
Corpore depresso, & spinæ curuamine flecti
Incipit. huic Lycabas in quæ miracula dixit
Verteris? & lati rictus, & panda loquenti,
670 Naris erat, squammãcq; cutis durata trahebat.
At Libys, obstantes dum vult obuertere remos,
In spacium resilire manus breue vidit, & illas
Iam non esse manus, iam pinnas posse vocari.
Alter ad intortos cupiens dare brachia funes,
675 Brachia nõ habuit, truncocq; repandus in vndas

Corpore desiluit, falcata nouissima cauda est,
Qualia dimidiæ sinuantur cornua Lunæ.
Vndique dant saltus, multaque aspergine rorant,
Emergunteque iterum, redeuntque sub æquora rursus,
Inque chori ludunt speciem, lasciuaque iactant 680
Corpora, & acceptũ patulis mare naribus efflant.
De modo viginti (tot enim ratis illa ferebat)
Restabam solus, pauidus, gelidusque trementi
Corpore, vixque meum firmat deus excute dicens
Corde metum, Diamque tene. delatus in illam 685
Accessi sacris, baccheïaque sacra frequento.
Præbuimus longis Pentheus ambagibus aures
Inquit, vt ira mora vires absumere posset.
Præcipitem famuli rapite hunc, cruciataque duris
Corpora tormentis stygiæ dimittite morti. 690
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acœtes
Clauditur in tectis, & dum crudelia iussæ
Instrumenta necis, ferrũque, ignesque parantur
Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua fama est, nullo soluente cathenas. 695
Perstat Echionides, nec iam iubet ire, sed ipse
Vadit, vbi festus facienda ad sacra Cithæron
Cantibus, & clara bacchantum voce sonabat.
Vt fremit acer equus, cum bellicus ære canoro
Signa dedit tubicen, pugnæque assumit amorem, 700
Penthea sic ictus longis vlulatibus æther
Mouit, & audito clamore recanduit ira.
Monte fere medio est cingentibus vltima syluis
Purus ab arboribus spectabilis vndique campus.
Hic oculis illum cernentem sacra profanis 705
Prima videt, prima est insano concita cursu,

Prima suum misso violauit Penthea Thyrso
Mater, & o geminæ clamauit adeste Sorores.
Ille Aper in nostris errat qui maximus agris,
710 Ille mihi feriendus aper, ruit omnis in vnum
Turba furens, cunctæ coeunt, trepidũq; sequũtur.
Iam trepidũ, iam verba minus violẽta lonquentẽ,
Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.
Saucius ille tamen fer opem matertera dixit
715 Autonoe, moueant animos Actæonis vmbræ.
Illa quis Actæon nescit, dextramq; precantis
Abstulit. Inoo lacerata est altera raptu.
Non habet infœlix, quæ matri brachia tendat.
Trunca sed ostendens deiectis vulnera membris,
720 Aspice mater ait, visis vlulauit Agaue,
Collaq; iactauit, crinemq; per aera mouit.
Auulsumq; caput digitis complexa cruentis
Clamat, Io comites opus hoc victoria nostra est.
Non citius frondes autumni frigore tactas,
725 Iam male hærentes alta rapit arbore ventus,
Quã sunt mẽbra viri manibus direpta nefandis,
Talibus exemplis monitæ noua sacra frequẽtant,
Thuraq; dant, sanctasq; colunt Ismenides aras.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. IIII.

AT nõ Alcithoe Mineias orgia censet,
Accipienda dei, sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Iouis, sociasq;
Impietatis habet, festũ celebrare Sacerdos (sorores